Foxii Joan: Oratio cum electus in Rectorem Almae Universitatis Cracoviensis Rev. D. Nicolaus Dobrocieski Ut. J. D. confirmaretur.

ORATIO
IOANNIS FOXII I.V. DOCTORIS, CANONICI CRACOVIEN.

Cum electus in Rectorem almæ Vniuersitatis Cracouieñ Reuerendus Dñus NICOLAVS DOBROCIESKI I. V. Doctor, Crac. & Sendomirieñ Canonicus, confirmaretur.

Habita in Collegio maiori die 27 Aprilis, Anno Dñi M. DC. II.

CRACOVIÆ,
In Officina Iacobi Sibeneycher,
Anno 1602.

Doctiſsimis & Nobiliſsimis Academiæ Crac. Profeſſoribus & Studioſis Autor S.

INtelleximus multorum veſtrum ſermone, probari vobis ea quæ nuper apud vos in ſollenni Rectoris *inauguratione breuiter diximus; quæ cum à nobis deſideraretis, en ad veſtram voluntatem in publicum prodeunt.* Legite *hæc & conſeruate, non tam ad noſtram, quàm ad eius, cuius cauſa dicta ſunt, tanti viri &* Rectoris *noſtri memoriam ſempiternam.* Sub *cuius regimine florete & viuite diu fœlices, bonis literis & patriæ.*

ORATIO.

TAnta fuit maiorum nostrorum prudentia, tantus erga bonas literas amor, vt cum Academiam hanc religionis Catholicę seminarium, Regni huius decus & ornamentum, ante ducentos annos condidissent, duabus præcipuis rebus honore & libertate quasi quibusdam alis eam in altum extulerint. Ac primum quidem ille qui alit artes, honos, magnus semper professoribus, & his qui ab ipsis erudiebantur, habitus est; iique Regum & Principum olim delitiæ erant: quod cum alia multa tum hæc præcipue regalia sceptra honoris causa Gymnasio huic tradita testantur. Libertatis verò illud, vel maximum argumentum fuit, quod eos qui studia tractarent, non vno eodémque iure, cum aliis censeri voluerunt, sed leges quasdam indulgentiores iis præscripserunt, quibus & controuersiæ illorum ex bono & æquo dirimerentur; & errata, sine quibus in multorum societate rarò viuitur corrigerentur. Neq; verò his contenta piorum Principum largitas, & illud etiam concesśit, vt suos peculiares hæc Respublica litteraria haberet magistratus; ipsáq; eũ quem vellet, quem virum bonum & officio hoc dignum iudicaret, sibi præficeret. ex qua vna re duo præcipua in eam redundarunt commoda: alterum, ne per diuersa iudi-

cum subsellia, ii qui bonas artes colunt, cum magna studiorum, & fortunarum iactura traherentur: alterum, vt & præmiorum distributio, à proprio magistratu gratior, & pœnarum irrogatio, velut ab altero parente profecta clementior, & tolerabilior foret. Hæc est nostra qua iure gloriamur libertas, res illa quæ nullo precio æstimari, non benè, pro toto auro vendi potest; cuius dulci recordatione, toties oblectamur, quoties statis anni tēporibus Rectorē eligimus, electúmq; more, & instituto veteri, publicè comendamus. quod prudentissimè sane à maioribus nostris institutum est. Laudari enim duces & rectores suos nouos voluerūt, tùm vt illis laudibus, quasi stimulis quibusdam ad fortiùs & alacrius pro bono communi currendum & depugnandum, non secus ac milites prælium ingressuri, excitarentur: tùm verò vt hi qui quotidie ad hanc scholam noui veniunt, virtutes illorum cognoscant, iisq; libētius obedientiam & reuerentiam omnem exhibeant. Hoc ipsum mihi nunc apud vos faciendum est; & nouus, quem ante duos dies elegimus, Rector ex hoc loco breui oratione commendandus. Plurimùm autem me solatur, quòd vos omnes narrandis laudibus eius fauere, certò mihi persuadeam, idq; vel ex faustis illis acclamationibus, in renunciatione ipsius publicè factis, quibus quantam voluptatem ex electione tanti Rectoris, animo conceperitis, primis vestris vocibus declarastis: quam lætitiam & applausum

vestrum

vestrum; vt non inanem esse cognoscatis, illud vnum est, in quo mea versabitur oratio, quod etiam animi & ora vestra loquuntur, talem nobis hoc tempore Rectorem diuinitus obtigisse, in quo non adumbrata, sed omnium virtutum coloribus ad viuum expressa, boni & vigilantis Rectoris cernitur imago. Nam cùm multa sint quæ in eo qui aliis præesse debet, tùm præcipuè tria illa requiruntur; magna optimarum rerum scientia, præstans virtus, & singularis quædam authoritas, quorum vnum sine altero ad boni regiminis normam non sufficit. Non enim scire solùm conuenit eum, qui magistratum gerit quæ sint sui muneris partes, quæ officia; sed etiam conniti & velle atq; adeo euigilare debet, vt officio suo satisfaciat: tum verò, quod caput rei est, vt non tantum sciat & velit, sed vt etiam posit exequi id quod probè intellexit & optimè voluit. Primum itaque illud, vt sciat difficile regendi munus, pręstabit illi multiplex scientia; alterum vt velit, egregia faciet virtus; deniq; vt posit omnia ad effectum deducere, eximia dabit authoritas. Hic est ille funiculus triplex, qui difficilè rumpitur, cum nimirum excellens doctrina cum pręstanti virtute & singulari authoritate in pectore & vultu Rectoris coniuncta fuerit. Quamuis verò hæc omnia cuique gubernacula regēdi populi suscipienti necessaria sint, maiori tamen quadam ratione in hoc Rectoris nostri supremo magistratu desiderantur. Nam quod sci-

entiam attinet, nihil eſt quod quiſquã exiſtimet, hanc Vniuerſitatem absq; maximarum rerũ cognitione rectè poſſe adminiſtrari. Licèt enim difficile ſit hominẽ animal omnium maximè varium & multiplex regere, tum verò longè difficilius munus eſt, eum regere qui alios inſtruit. Quanta ſapientia ad regendos illos opus eſt, qui & ipſi ſapientię ſtudia profitentur, qui ſunt veluti capita quædam populorũ, & duces multitudinis? Vt enim generoſus equus non quemlibet ſeſsorem patitur: ſic ſublimiores illę philoſophantium animę, non quemlibet rectorem & moderatorẽ admittunt. Multorum itaque ſeculorum prudentia & conſiliis fulciri debet, qui illis præeſt, quos multarum ætatum oculis & vita, videre & viuere intelligit. Iam verò iuuentutis cura & gubernatio, quantam in noſtro Rectore ſapientiam requirat, vel ex eo ſolo intelligetis, quod ſapientiſsimus ille mortalium, qui optione data à Deo, illam vnicam, ſedium diuinarum aſsiſtricem ſapientiam, tanquam ad regendos populos apprime neceſsariam ſibi dari poſtulauit, illud ſe ignorare fateri non erubuerit, viam viri in adoleſcentia. Audite vocem diuina ſapientia illuſtrati Salomonis: Ignoro viam viri in adoleſcentia. Quis ergo eſt qui eam ſcire poſsit? Prudentiſsimus ille fuerit, qui coniectura aſsequatur animum adoleſcentis, qui eum in via honeſtatis & virtutis retineat, qui ad manſuetudinem & frugem perducat. Multis ſanè ille facibus literarum opus habet,

qui

qui currentes velut per effusas noctium tenebras iuuenum animos moderatur, ne aut ipse aberret, aut multos in præcipitium agat. Et vt virtutes etiam attingamus, hæ in eo, qui supremum apud nos magistratum suscipit, debent esse amplissimæ. Nunquam enim sola scientiæ & doctrinæ vbertas, ad regendos sapientûm animos, & cœtus suffecerit: sed tum demum rectè administrantur magistratus, cum iudex alios quod monet ipse facit; ne vna manu suos ad virtutē trahere, altera retrahere; vna ædificare, altera destruere videatur. Quo in genere præclara mihi visa est sententia magni illius Theologi Gregorii Nazianzeni: Qui, inquit, vel solos mores, vel solam doctrinam consequuti sunt, ab altero autem horum deseruntur; ij similes sunt luscos oculos habentibus, quibus cum magnum detrimētum sit, tum verò maior turpitudo, siue alios cernant, siue ab aliis cernantur: at quibus vtraque laude excellere ac veluti ambidextros esse cōtigit, hi nimirum omnibus numeris absoluti sunt, ac cum alterius vtiæ beatitudine vitam agunt. Cùm itaque magistratus hic noster, nihil aliud sit quam vigilantissimus quidam oculus, qui aliorum vitam & professionem intuetur, inquem vicissim omnium oculi coniecti sunt, vtrumq; oculum rectum habeat necesse est, ne turpe illi sit, vel aspici ab aliis, vel aliorum vitam inspicere. Nolo ego hîc commemorare virtutes, quibus ornatum esse Rectorem nostrum oporteat. Sufficiat illud vnum pro

multis

multis dixisse. Omnium virtutum choro comitatũ esse debere eũ qui eos regit in quibus omniũ virtutum norma & exemplar esse debet; qui disciplinam suam non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ statuunt; cum quorum vita, nullo modo pugnare debet oratio. Sed & illud vobis persuasum esse existimo in eo qui cathedram hanc ascensurus sit, maximam authoritatem requiri; quæ nihil aliud est, quam magna quędam hominum de præstantibus alicuius viri virtutibus opinio. Nam etsi munus hoc Rectoris sit ipsum per se magnum, maius tamen & sublimius apparet, si authoritate præstantis personę fulciatur. Verissimum enim illud est: tales ac tantos esse omnes magistratus, qualis ac quãnta eorum qui eos gerunt virtus & authoritas est. Proinde mandatis præsidum prouincię, prudenter ab Imperatoribus adiici refert Iurisconsultus, vt ita se gererent, vt authoritatem dignitatis ingenio suo augerent. Cùm authoritas Rectori adest, tumultus exorti facilè sedantur, controuersię paruo labore dirimuntur, disciplina viget, tranquillitas reuiuiscit, coërcetur in improbis reformidato supplicio audacia, & nocendi facultas. Hæc adeò necessaria est, vt qui eam non habuerit, nullo modo suscipere magistratum possit & debeat. Noli, inquit Sapiẽs, velle fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. Videtis iam triplicem hunc funiculum sciẽtiæ virtutis & authoritatis; quem ille, cuius hæreditatis sors Dominus fuit, ille inquam, cuius

cuius funiculum Deus inueſtigauit, ſummis ab eo votis, ad regendum populum dari ſibi petiit. Dauid inquam ille ſedens in cathedra, ſapientiſsimus princeps inter tres, quaſi tenerrimus ligni vermiculus, hæc à Deo poſtulat: Bonitatem & diſciplinam, & ſcientiam doce me. Scientiã, qua alios inſtruat; Bonitatẽ qua multis exemplo ſit; Diſciplinæ authoritatem, qua cæteros omnes in officio contineat. Sed de his, quæ in Rectore requiruntur, hęc breuiter commemoraſse ſuffecerit. Ad hoc tantum ac ſublime munus, cum nobis eligendus eſſet vir idoneus, qui hæc omnia comparata haberet, ſcitis quem elegerimus, cui honores, & libertates noſtras crediderimus. Quid enim eum ex nomine publicè renũciatum nunc compellem, quem primo iam loco, ad clauum huius nauis conſediſse videtis? Cuius laudes, ſi pro dignitate eſſent recenſendæ, & tempore longiore, & oratore diſertiore opus eſset. Vellem ego vir clariſsime Dobrociesci, vt aliquid aliud tibi potiùs per me acceſsiſset honoris, quã cumulus iſte laborum, ad graues & arduas tuas occupationes, ſed pro tua prudentia ignoſces, non tàm votis meis, qui tibi magnitudine amoris & beneficiorũ tuorum deuinctus ſumma omnia vti debeo cupio, quàm diuinæ cuidam & præſtantiſsimorum virorum coëlectorum meorum voluntati. Videbant illi magna in te dona & talenta Dei. & primò quidem animum, omni liberali doctrina excultum. Quid enim eſt in o-

mni genere ſcientiarum tam excellens quod te lateat? Tu Philoſophorum arcanos illos receſsus, tu Iuris & Canonum oracula, tu Theologorum penetralia adiiſti: tu ex omni liberali doctrina, omiſsis ſpinis, flores ipſos velut ſedula apis decerpſiſti: tu fractis & abiectis corticibus, quod multi facere neſciunt, nucleos ipſos deguſtaſti: tu Lumina illa Academiæ, adeoque patriæ noſtræ Gorſcios, Socolouios, propius aſpexiſti, ex quorum lumine, multarum in te ſcientiarum ſplendor facilè redundauit. Memini quale de te Gorſcius publicè iudicium faceret, quid ipſe Socolouius, qui te vnicè dilexit, qui in tuo complexu mori voluit, de te ſæpius diceret, cum diuino illo & præſago animo, ex floribus tum virtutum tuarum, fructus vberimos quos iam accepimus, multo ante prænunciaret. Florebat doctrina tua in ſcholis, cum in magna auditorum vndique ad te confluentium caterua Philoſophię primùm, mox Legum & Canonũ ſtudia, multo tempore profitebaris. Fructum verò protulit hæc eadem doctrina tua vberem, cum in Eccleſiaſticis cathedris, voce hac tua graui, & plena cuiuſdam maieſtatis, cõciones ad populum zeli cultus diuini plenas faceres. qua in re & ingenii tui vbertate, & iudicii memorięq; præſtantia, cæteros omnes aut æquabas, aut ſuperabas. Subit mihi in mentem illa animi & ingenii tui vis, quam in publica diſputatione Lublini, cum blaſphemis Arrianis habita oſtẽdiſti, quo tempore,

re tantum tibi Deus dederat Spiritum, vt planè obstructum fuerit os loquentium iniqua. quæ res vna, dicam audacter, etiamsi nulla eſsent doctrinę tuę testimonia, sola nomen tuum illustrare, & ad longam posteritatem transmittere, adeoque syderibus ipsis inferre potuit. Plura de doctrina & scientia tua nolo interim dicere, hanc enim mox nobis tua pandet oratio.

Virtutes verò tuas excellentes, cum singulari doctrina coniunctas quo sermone aſsequar? qui tantum paucas ex illis attingere institui. Ex illo angustiori vitæ tuæ priuatæ campo, quàm vt in eo virtus tua poſset excurrere, translatus ad publica negocia à magno illo & immortali memoria digno Cardinali RADZIVILO, qualem ac quantum te præstitisti? Idem tibi profectò quod quondam Israëlis Regi Sauli accidit. Qui dum asinas patris quæreret, regnum inuenit. Sic tu cum officium tuum, ad quod te Deus vocauerat, imples; cum ex virtute vitam ducis, cum attendis lectioni, exhortationi, & doctrinæ, cùm oues Christi ad vnū ouile conuocas, magnum honoris & dignitatis gradum quem non quærebas inuenisti. Sic nimirum Deus iustorum labores complet, sic eorum virtutes coronat. Restituit Cardinalis Radziuilus templa, monasteria, veterem disciplinam reuocauit, Diœcesim hanc longè lateque patentem, vniuersam ipse lustrauit, fidem Catholicam propagauit, Academiam hanc, vt primum vidit, & te in ea, causa honoris mei, verba facientem audiuit, vni-

ce dilexit, Professoribus publicè & priuatim magna beneuolentiæ signa exhibuit, singulos nominatim cōpellabat, præclara amoris sui pignora moriens ipsis reliquit. Horum tu, qui Cancellarius eius eras, magna pars fuisti. Tuis hæc laboribus, vigiliis, tuis pręcipuè debentur virtutibus. Admiror ego tuum singularem erga Academiam hanc amorem, cuius vel vnū tantùm illustre, nec omnibus fortasse notum adferam testimonium: illud nimirum, Quòd cum in Comitiis Regni, Varsauiæ, causa quædā Vniuersitatis eaq; magni momenti per præconem ad iudicium vocaretur, patronusque causę non venisset: tu, qui tum ad latus Cardinalis eras, ne quid detrimenti Vniuersitas hæc acciperet, non erubuisti in medium prodire, & in illo theatro pro bono hoc communi coram Rege & Senatu, ex tempore ita perorare, vt & tibi vincere gloriosum, & Academiæ bonum ius malè non amittere honorificum esset. Taceo infinitas alias virtutes tuas, innocentiam, vitæ bonitatem, mansuetudinem, clementiam, liberalitatem, in consiliis dandis prudentiam, ac inuictam animi fortitudinem, quæ facit, vt neque in prosperis superbias, nec in aduersis succūbas. Non est huius temporis, omnes virtutum tuarum laudes recensere, nec pudor tuus patitur, & sanè, eas melius vultus tuus prodit, quàm meus sermo potest exprimere. Ex quo virtutum omnium cum singulari doctrina coniunctarum pulcherimo cœtu, tantam tibi apud

bi apud omnes authoritatem comparaſti; vt non niſi ſumma omnia à te ſperare, & expectare poſsimus. Sæpè quidem antea conſiliorũ tuorum authoritas Academiæ ſalutaris fuit, ſed nunc ſummopere neceſsaria eſt, cum in mediis fluctibus agitamur, cum duarum facultatum ſedes ferè iam orbatas Doctoribus cernimus, cum poſt tot continuata bonorum Profeſsorum funera, magnam cladem accepimus, cum maiorum diſciplinæ aut obliti, aut pertæſi, multũ à priſca virtute & grauitate receſsim9. Euigilet igitur ſollicita tua cura & conſideratio, in omnes gymnaſij huius partes, ita vt ſapientia & doctrina tua, veterem dignitatem bonis artibus reſtituat; virtus verò hæc excellens ad omnem honeſtatem & vitam in timore Dei agẽdam nos omnes reducat: deniq; authoritas, exitioſa diſcordiarum ſemina, antequam medicinam vincat morbus, euellat, opuſq; illud pulcherimum reformandæ Academiæ iam à te cœptum perficiat. Quod reliquum eſt, ſicut quondam Pharao cùm Ioſeph cõſtituiſset ſuper vniuerſam terram Ægypti torquem auream illi dedit, tulit annulum de manu ſua, & poſuit in manu eius, fecitq; eum aſcendere currum ſuum, vt omnes præpoſitum eſſe ſcirent eum vniuerſæ terræ Ægypti: ſic nunc Vniuerſitas noſtra, ornamenta & inſignia ſua, hæc ipſa ſceptra, iura & libertates, annuloſq; ſuos ſignatorios tibi tradet, teq; quem caput ſuum conſtituit, currum ſeu cathedram hanc honoris per me aſcendere iubet,

 vt ſcias

vt ſcias illud de tē dici poſse, Currus Iſraël, & auriga eius. Hunc igitur locum fœliciſsimo omine iam conſcende, talemque te eſse, qualem mea depinxit oratio, imo longè maiorē omnibus teſtare.

DIXI.

ANDREÆ SCHONEI S.T.D. CAnonici S. Floriani. Ad Autorem.

MAiórne ingenio ſis, acri iudicióue
　Foxi, non poſsum dicere, crede mihi.
Dicere ſed poſsum, te doctè ſcribere cuncta,
　Laudare & verè, corde bonoq; bonos.
Nec DOBROCIESKI meliorem quiuit habere
　Præconem, nec tu materiam ſimilem.
Viuite fælices ambo, & virtutibus amplis,
　Illuſtrare orbem pergite Sarmaticum.

AD MAGNIFICVM RECTOREM Academiæ Crac.

SIc dent, optime Nicoläe, vitæ
Longos aſtra tibi dies benigna,
Quàm veris tibi, candidus bonuſque,
Verbis, Foxius iſta gratulatur.
Quæ dictis luculentus explicauit,
Quàm ſint grandia, docta, & ampla ſceptra

Illa,

Illa, tam̃ benè sæpè quæ tulisti,
Nostris vndique commodus Camænis.
Quòd si qui inuidet, inuidet Mineruæ
Ægida, & Pythio suas sagittas,
Et lucem tibi Phœbe, & arma Marti.
At nos, his meliora sentientes,
Sceptra isthæc tibi gratulamur, & te
Nostris litterulis diu patronum,
Votis omnibus vsque & vsque auemus.

Gabriel Ioannicius, Philoso-
phiæ & Medicinæ Doctor.

Eiusdem ad Autorem.

DVm quæ Rectoris sint partes ordine pandis,
Nicoleum & veris laudibus accumulas.
Verba diserta, animus sapiens, mens prõpta, voluntas
Communi æqua rei, iudiciumq́ue graue,
Tantum in te elucent, vt te nec liuor iniquus
Carpere, lædere nec lingua maligna queat.
Et monitorem ergo genitrix Academia talem,
Et laudatorem Rector habere velit.